



Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

446. Quomodo possum pœnitentiam septem annorum pœnitere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 381
pœnitentiam ut superiùs diximus , in primo
anno eroget in eleemosyna solidos viginti sex,
in secundo viginti , in tertio octodecim , hoc
est , solidos sexaginta quatuor. Potentes ho-
mines faciant pro culpis suis quod Zachæus
fecit. Ait enim ad Dominum : *Domine , om-
nium bonorum meorum dimidium do pauperibus ;*
*& si aliquid injustè abstuli , in quadruplum re-
stituo.* Et de mancipiis suis aliquos dimittant li-
beros , & captivos redimant , & in se peccan-
tibus ex corde dimittant. Et qui inlicita com-
misit , etiam à lictis se abstineat , & corpus
affligat jejuniis , vigiliis , & crebris orationi-
bus. Caro enim læta nos ad culpam traxit , af-
flicta reducit ad veniam.

Quomodo possum pœnitentiam septem an-
norum pœnitere. *Ex dictis sancti
Bonifacij Episcopi.*

CCCCXLVI. Triduana una pro trigin-
ta diebus & cantatio psalmorum centum vi-
ginti. Pro uno die psalmi quinquaginta , &
quinque *Pater noster*. Pro tribus diebus psalte-
rium unum , & quindecim *Pater noster*. Item
pro uno die tribus vicibus *Beati immaculati*,
& sex *Miserere mei Deus* , & septuaginta vi-
ces prosternat se in terram , & per singulas *Pa-*
ter noster dicat. Item si nescit psalmos , pro
uno die prosternat se centum vicibus in ter-
ram , & per singulas dicat *Miserere mei Deus*,
& *Dimitte , Domine , peccata mea*. Cantatio
uniuersi Missæ potest redimere duodecim dies.
decem Missæ , quatuor menses. viginti Missæ ,
novem menses. triginta Missæ , duodecim

382 R E G I N O N I S L I B . II ,
menses . Pro hebdomada una trecenti psalmi
genu flexo decantentur . Qui psalmos nescit ,
& jejunare non potest , quantum cotidie sumit
penset , & medietatem tribuat in eleemosyna .

Ecce diversorum patrum diversas opinio-
nes de remediis peccatorum vel de leviganda
pœnitentia in ordine posuimus , in arbitrio
prudentis sacerdotis relinquentes quid salu-
brius & utilius animæ pœnitenti esse de-
cernat .

